marcescunt aut oleascunt et insipidae fiunt. In Orientem autem ductae semper manent etiam per centum annos sine defectu et ideo sanae et pretiosae efficiuntur. Vnde Amalfitani mercatores, de Amalfia, Apuliae civitate, primi creduntur fuisse, qui avellanas in Aegyptum et Syriam, peregrinas utique merces, quas Oriens prius non noverat, lucri faciendi causa per mare detulerunt longe ante tempora Latinorum, dum adhuc regnum hierosolymitanum in manibus erat paganorum. Propter has ergo merces meruerunt Amalfitani gratiam et favorem dominorum terrae; unde, quia tunc Latini in Jerusalem nullum habebant locum, in quo hospitarentur peregrini, obtinuerunt praefati mercatores a rege Aegypti potestatem construendi habitaculum in quocumque loco voluissent in civitate sancta. Sic ergo ante januam ecclesiae dominicae resurrectionis aedificaverunt monasterium in honorem beatae Mariae Virginis et abbatem et monachos latinos imposuerunt et quia Latini id fecerunt, nominaverunt locum Sancta Maria de Latina. Ecce hanc gratiam obtinuerunt cum avellanis Christiani. De quo supra. P. 1. fol. 268. A.

Die XXVII., quae est vigilia Simonis et Judae apostolorum, mane ad dicendum officium meum surrexi et descendi in curiam et sub testudine, quae est in introitu portae domus, sedi orans. Adhuc autem erat porta domus clausa, quam aperiunt et claudunt Sarraceni ab extra ad placitum, sicut omnes alias domus Christianorum, ad quas ipsi et non inhabitatores Christiani claves habent. Pari modo fit ipsis, dum sunt Venetiis negotiantes, nam domum, in qua sunt Christiani, a foris noctibus claudunt, ne quis vel intrare vel exire possit, ut nocturni insultus praecaveantur. Me autem ibi sedente venit portuarius Sarracenus et remoto repagulo et seris aperuit ambas valvas et abiit. Surrexi ergo et sub ostio steti, respiciens deambulantes et apud me mirabar, de tam diversis hominibus percurrentibus, vidi enim Christianos multos, orientales et occidentales, Judaeos, Samaritanos, Sarracenos, Mamaluccos promiscui sexus, inter quos pertransire volebat quidam juvenis barbitonsor, quem prius Venetiis noveram; hunc ut vidi, vocavi Italice, ô barbarero veza; et audiens venit. Cui dixi, utinam, bone socie, essem in habitaculo tuo, ut caput mihi lavares et barbam et coronam meam raderes, captivus, heu, sum detentus cum aliis a Trutschelmanno propter debita solvenda. Ad quod juvenis re-

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;